



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Surrexi, ut aperirem dilecto meo. Manus meæ stillauerunt myrrham
optimam & digiti mei pleni myrrha probatissima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

supra literam spiritum uitæ in sensu habentem.

¶ Surrexi, ut aperirem dilecto meo. Manus meæ stillauerunt myrrham optimam & digiti mei pleni myrrha probatissima.

¶ Surrexi, inquam: Quomodo enim diutius dormire aut post hac obdormiscere potuissem? Quomodo tunica indui fastidiosum aut puluerem pati in pedibus mihi esset pigrum: ubi post uocem dilecti mei pulsantis, manus quoque accessit, & tactu suo illum ineffabilem uetri meo timorem incussit? Surrexi igitur, ut aperirem dilecto meo, operam dedi ut cū apostolis Christi, utique dilecti mei, dictis & factis proficere currenti Euangelio. Nam hoc est quod dico, Manus meæ stillauerūt myrrham primam, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

¶ Oportebat nanque, ut maxime relictis credentium atq; APOSTOLICAM uitam imitantium uiduis manifestum darem exemplum omnis mortificationis uitiorum, normamque in propatulo sacrarem mox uenturis nouumque & eatenus inauditum exemplum eo suscepturis sanctæ uirginitatis propositum. Hæc MYRRHA utique probatissima, id est, præciosissima est.

¶ Cæterum carnem mortificare, non propter deum, neq; propter ædificationem uidentium, sed propter gloriam propriam capiendam ex ore laudantium, hoc quidem est, manibus stillare MYRRHAM, sed non probatam, imo nec ibi sunt digiti, qui dicantur MYRRHA pleni, quia non est in tali opere uirtus discretionis.

RVP. IN CAN. CANT. CA. V.

quæ per digitorum distinctionem solet intelligi.
¶ Pessulum ostij mei aperui dilecto meo.
¶ Pessulum, inquam, ostij mei, id est, clausuram oris mei. Quid namque per pessulum, nisi silentij signatur firmamentum. Pessulum ergo ostij dilecto meo aperitur, cum indictum ori silentium propter Christum resolvitur, ut audientes edificentur. **¶** Et quæ pulcher, quæ rationalis & disciplinatus ordo loquendi. Prius myrrha stillat de manibus, & digiti myrrha probatissima pleni monstrantur, ac deinde pessulus ostij dilecto aperitur, id est, prius vita laudabilis in exemplum præparatur, & deinde doctrina fidem quærens audientium palam profertur. Hinc de ipso dilecto scriptum est, quia cepit facere & docere. Non dictum est prius docere, & deinde facere; sed prius facere, & deinde docere.

Actu. I

¶ Et ille declinauerat atque transierat.
¶ Ego, inquit, pessulum ostij mei dilecto meo aperui, & ille declinauerat atque transierat, id est, ego os meum aperui in doctrina, ut audientibus facerem notitiam dilecti: sed ille iam nobiscum non erat, iam caelo receptus, huc redire ulterius non habebat. Ergo ne o dilecta, tu istud nesciebas? Nonne prius quam modo iam dicto pessulum ostij tui aperuisses, uideras, quod in caelum ascendisset: & sciebas quod ultra ad commendandum mortalibus rediturus non esset? Sciebam, ait, & bene sciebam, Sed quid?
¶ Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.